



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiae forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. LXIII. De judicio, seu processu exequutico in spiritualibus, nempe in exequutione literarum Apostolicarum super beneficiis, & pensionibus ecclesiasticis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

illos modos recognitionis fictæ vel veræ, qui in dicta rubrica insinuati sunt.

Adhuc tamen ista, ac alia generalitates, non semper uniformem praxim habere debent; Et præsertim circa qualitatem exceptionum, aut censendæ veniant altioris indaginis, necne, cum materia regulanda videatur pro prudenti arbitrio iuxta singulorum casuum particularès circumstantias, majorem, vel minorem redolentes fumum veritatis.

De eo autem moniti esse debent Judices (ut defacto prudentes, beneque versati præficient) habendi se de facili negativè, quando exceptiones relevantes videantur, sive quod magnum habeant fumum veritatis, abstinendo scilicet ab executione, cum ita per hujusmodi negationem debitor implicitem liberationem, atque victoriam obtinere dicatur. Non autem esse faciles ad actum affirmativum sententiæ absolutoriæ, dum ita magnum parat præjudicium creditori, in vulneratione viæ executivæ, undè propterea incumbit creditori necessitas, eius jura prosequendi in iudicio ordinario, & appellabili, per tres conformes, ratione servandi æqualitatè, dñi sc. sicut ipsi licuit appellare à sententiâ absolutoria, ita huic licitum esse debet appellare à sententiâ revocatoria suæ absolutoriæ, quoties nullitas clara & iustitia notoria, istius vulneris effectum non impediatur. Ita etenim magnum paratur præjudicium, dum in progressu temporis, vel causæ, creditor multas notitias habere potest, cum quibus de facili elidat illas exceptiones, quæ tunc relevantes videntur. Porro si verò ubi sit hæres, vel successor non omninò informatus; Et è converso debitor conquari non potest, dum ita per hujusmodi actum negativum obtinet intentum; Et consequenter arma non sunt æqualia, rectèque infat axioma, ut quod uni non nocet & alteri prodest &c. Ideoque prudentes, beneque versati Judices, ad hujusmodi absolutorias, quæ percutiant substantiam debiti, dictumque vulnerationis effectum producant, procedere non solent, nisi quando iustitia debitoris, ac relevantia exceptionis sit plusquam clara, & certa, non autem quando vigeat præfata possibilitas.

Idem processus executivus, ex rationabili consuetudine, quæ per universum nostræ communicationis Orbem, pro facilitate, ac libertate commercii introducta est, servatur in literis cambi; lib. 5. tit. de camb. disc. 22. Ac etiam in illis parvis scedulis inter negotiatores usu frequentibus, quæ vulgò pagari nuncupantur, Magis verò, & cum minori difficultate in scedulis bancariis; Ac etiam ex quadam communi consuetudine in pensionibus domorum, atque in eo, quod debeatur ex causa victualium, vel mercium pro vestitu, ac similibus, quibus eadem congruat ratio.

Super aliis autem, non de facili, certa regula generalis statui potest, cum pendeat ex singulorum locorum diversis legibus vel styliis, quinimò singulorum Tribunalium, etiam eiusdem loci, quod scilicet unum Tribunal præficient processum executivum, aliud verò non; Ut præsertim (ex. gr.) habemus in alibi insinuato puncto viæ executivæ competentis necne, pro legatis supra disc. 37. cum similibus.

Prout etiam alibi insinuatum est, quod Curia non vult admittere in foro ecclesiastico cum clericis praxim ritus Magnæ Curia Vicariæ Neapolis, super incussatione seu liquidatione instrumentorum tit. de cred. d. 116. Sed pro meo iudicio parè probabiliter; Quoties tamen cum debito modo ille præficientur,

tanquam ad instar, rejecta solum praxi poenæ criminalis sisco applicanda, ex rationibus loco citato insinuatis, ubi videri poterit.

Ibique etiam advertitur, probabiliter non admitti eam illorum Tribunalium praxim in obligationibus penes acta, decernendo, & relaxando mandata executiva de facto, nulla prævia citatione: ex rationibus pariter ibi insinuatis, dicto disc. 116. de credito.

De modo autem faciendi, & consumandi executionem, atque de istius diversis speciebus, ac debitorum privilegiis, sive de ordine tenendo inter easdem species; Aut de hujus processus executivi præscriptione, habetur alibi actum supra, ideoque repetendum non est supra disc. 40.

De formulis autem citationis, ac decretorum, seu mandatorum, aliorumque actuum, facile est videre apud puros Practicos, qui commendabiliter quidem assumpserunt hujusmodi opus Jurisconsulto tamen incongruum.

Problematicum verò est, an hujusmodi Practicorum, & Collectorum labores, proficui, vel perniciosi, censendi sint, ex eo quod adolecentes, ita non servant nimis commendabilem antiquum Curia stylium, per notabile tempus sollicitandi apud antiquiores, beneque versatos Procuratores, ut ita magis solide, ac bene praxim, & stylos addiscerent, ob facilem errorum, & equivocorum incursum, ordinandi processus, tam ordinarios, quam executivos, cum sola lectura hujusmodi librorum, qui praxim docent, atque formulas registrant.

De iudicio, seu processu executivo in spiritualibus, nempe in executione literarum Apostolicarum super beneficiis, & pensionibus ecclesiasticis.

S V M M A R I V M.

- 1 **G**ratia collationis beneficii persicitur per solam supplicationem.
- 2 Sed capi non potest possessio, vel alias se ingeri in beneficio sine literis.
- 3 Litera Apostolica iustificatio habent executionem paratam, nisi ad sit legitimus contraditor.
- 4 De duplici specie literarum Apostolicarum.
- 5 De brevibus de capienda possessione nomine Camera eorumque effectu ad favorem provisorum.
- 6 Per quem ista brevibus executioni demandentur.
- 7 De prerogativa Rote, ut in causis in ea pendentibus alter exequitor se non ingerat.
- 8 Invalida executio literarum non impedit quin Index appellationis ad eam procedere non valeat.
- 9 Quare expediri soleant hæc brevibus etiam ubi non timeatur oppositor.
- 10 Quæ iustificatio requiratur in huiusmodi brevibus.
- 11 De decreto expediendi literas infra sex menses quomodo intelligatur.
- 12 De modo exequendi hæc brevibus, & de denegatione appellationis suspensiva.
- 13 De duplici specie literarum in forma dignum, & in forma gratiosa, & de eorum effectibus, & differentiis, & modo exequendi.

- 14 De aliis literis subrogationis gratiose, & quid requiratur pro justificatione.
- 15 De legitimo contradicte, eiusque duplici specie, & effectibus.
- 16 An Capitulum sit legitimus contradicte, & quando.
- 17 Pensio Ecclesiastica habet vim executivam, & de modo exequendi.
- 18 Etiam favore translata.
- 19 Quod reputari soleat melior via manutentionis.
- 20 De regressu pensionarii ad beneficium, an & quando habeat processum executivum.
- 21 Existencia contradicte non impedit processum executivum in provisione parochialium.
- 22 Minusque in aliquibus Dignitatibus, vel officiis Hierosolymitana Religione.

DISC. XLIII.

Distinguendo pensiones à beneficiis; Quatenus ad beneficia pertinent; Processus executivi cadunt super effectuatione, vel executione literarum Apostolicarum; quæ expeditantur super beneficiorum provisionibus; Quamvis etenim gratia provisionis, vel collationis perficiatur per supplicationem signatam manu Papæ, postquam sequuta erit eius data, & registratio, juxta ea, quæ in relatione Curia habentur, agendo de Datario, in relatione Curia disc. 9. Ac etiam in materia beneficii, tit. de benef. disc. 42. Nihilominus, etiam sub gravibus pœnis, prohibuitur esse provisio, beneficii possessionem adipisci, seu alias in eius administratione, ac fructuum perceptione se ingerere, ante expeditionem literarum, ac alias, quam earum vigore, dicto tit. de benef. disc. 56. & 76. Et per consequens, ubi de illis provisionibus agatur, in quibus aliquis contradicte, vel oppositor de jure, vel de facto addit, frequenter in Rota, vel in Tribunali Auditoris Camera, aut coram Prelatis, qui in literis deputati fuerint speciales exequutores, de illarum justificatione & executione agi solet.

Certa siquidem juris regula generalis est, quod literæ Apostolicæ justificata, paratam habent executionem, cum processu summario & executivo omni appellatione postposita decif. 31. par. 10. rec. & passim. Sed quoniam ista regula procedit cum duplici præsupposito; Primò nempe quod literæ sint bene justificata, super iis, quæ narrantur; Et secundò, quod non addit legitimus contradicte, unde propterea, exequutor dicatur merus; Secus autem tali existente contradicte, ut exequutor efficiatur mixtus, ideoque partes formales Judicis assumere debeat, declarando, an uni, vel alteri contendendum, beneficium debitum sit; Hinc proinde, istæ duæ limitationes, frequentibus questionibus ansam præbent, super narratorum scilicet justificatione, ac etiam, an & quando oppositor dicendus veniat legitimus contradicte.

Huiusmodi autem literæ Apostolicæ sunt de duplici specie; Aliæ siquidem sunt illæ, quæ expediuntur in forma brevis per organum Secretariæ Brevium, atque dicuntur breviam de capienda possessione in nomine Camera; Aliæ verò sunt illæ, quæ expediuntur sub plumbo, per organum Cancellariæ Apostolicæ, ut advertitur in eadem relatione Curia occasione agendi de Cardinali Vicecancellario, & de Secretario Brevium, in relatione Curia disc. 10. & 7.

Ista breviam capiendi possessionem nomine Camera, conceduntur super beneficiis reservatis, vel affectis; Eaque non cantant sub nomine provisi de beneficio, sed sub nomine Commissarii Camera, ut scilicet ita non retineatur possessio beneficiorum reservatorum, vel affectorum, ab iis, qui, ex provisione Ordinariorum, vel aliorum hanc potestatem non habentium, in eis se intruserint, ita eos expellendo, ut provisus Apostolicus, postquam adimpleverit ea, quæ adimplere tenetur, liberam, ac vacuum inveniat possessionem, præventivè curando ejectionem occupatoris; Idque spectato effectu redolet in substantia ademptionem possessionis ipsiusmet provisi Apostolici, cui Commissarius, mandatum tradere solet, ad capiendam possessionem, cuius adeptio, sibi prodest tanquam per mutationem causæ possidendi, absque novi actus replicatione, Arguelles dec. 34. & 40. tit. de Benef. disc. 5. & 17.

Huiusmodi autem literarum executio, fit ab Auditore Camera, cui illæ diriguntur, sive eius vice, ac nomine ab uno ex duobus eius Locumtenentibus civilibus, unde propterea dari non solent exequutores speciales, eo modo, quo in literis sub plumbo, quæ pro provisis expediuntur, deputari solent, dum (ut præmissum est) actus fit nomine Camera, eiusque Commissarii, non autem nomine provisi.

Quandoque tamen, etiam huiusmodi breviam executio fit per Rotam; Vel quia in ea præventivè causa introducta reperitur ad instantiam possessoris, provisi ab Ordinario, vel ab indultario, seu ab alio inferiori collatore, cum ea commissione, quæ iactationis, & iactationum dicitur, Sive quod alias, super eo beneficio lis in Rota pendeat.

Idque ob huius Tribunalis prærogativam, alibi quoque insinuatam, quod ubi scilicet causæ beneficiales in eo introductæ reperiuntur, tunc omnis alius exequutor cessat, ipsaque Rota, partes exequutoris assumit; Idemque in collatione, vel institutione, juxta dispositionem illius Clementinæ, cuius frequens mentio, in materia beneficii habetur, tit. de benef. disc. 52.

Sive quod à gestis per Auditorem Camera, vel per alium exequutorem, causa per appellationem introducta sit in Rota; Actus autem executionis coram exequutore, vel Iudice à quo, nulliter gestus esset, quoniam licet ipsius exequutoris jurisdictione, ex natura jurisdictionis delegatæ, etiam per actum inutilem consumpta sit, adeo ut, non possit amplius se ingerere; Non tamen consumptæ sunt literæ, quin per Rotam, prævia renunciatione possessioni nulliter adeptæ, denuò ex integro ad earum executionem procedi valeat, ex regula quod paria sunt nullum & nihil, neque ineptia exequutoris ordinem processus alterare, vel jus Partis tollere debet, ut ita aditus præbeatur intruso se confovendi in intrusione, dicta decif. 31. par. 10. recent. repetit. apud Arguell. decif. 34. Orthob. decif. 52. tit. de benef. disc. 55.

Nimium proficua esse solet huiusmodi literarum via, etiam in casu, in quo nullò timeatur oppositor, pro magis scilicet commoditate provisi, in literarum expeditione; Ubi potissimè, ob solutionem anata, notabilis sumptus sit necessarius, dum ita cum hoc brevi, modica sit impensa quinque ducatorum, sive pro qualitate beneficii, alicuius majoris summa non multum excedentis, dum ita adipisci possessionem potest, atque potiri beneficio dilationis sex mensium, in literarum expeditione.

Magis verò eadem via proficua est, in illis provisioni-

10 fionibus, in quibus timeatur contradictor, qui Ordinarius, vel iudicarius provisionem habeat, ex duplici respectu; Primo nempe, quia pro huiusmodi executione obtinenda, non requiritur illa major iustificatio valoris ipsius beneficii, & obtentorum, aliorumque narratorum, sed sufficit iustificatio vacationis, cum ea qualitate, quæ producat Apostolicam reservationem, vel affectionem, ac etiam illa capacitatis provisi, *decis. 31. par. 10. rec. & sequens.*

11 Et secundò quia provisiis Apostolicis, incertus de sua provisionis subsistentia, ob reservationis, vel affectionis dubietatē, ita se nō exponit periculo iacturæ inutilis sumptus in expeditione literarum, quatenus succumbat; Quamvis etenim in huiusmodi brevibus adjiciatur decretum, sub pena annullationis gratia ipso iure, ut provisi teneatur infra sex menses, à die data ipsius brevis, expedire literas sub plumbo, in forma Cancellariæ; Attamen de stylo Curie receptum est, ut iste terminus non currat, nisi post adeptam pacificam possessionem, atque cessatam litem; *dicta decis. 31. par. 10. recen. alias apud Argenti. decis. 24. & in de benef. disc. 17.* Eodem modo quo generaliter in aliis, ac similibus decretis super aliquo implemento infra certum terminum, stylus inolevit; Puta circa onus suscipiendi gradum Doctoratus vel se promovendi ad ordines sacros, cum similibus, in rerum beneficialium sede recentitis, *tit. de benef. disc. 42.*

12 Quando itaque huiusmodi brevis executio, ab Auditore Camere petitur, eo presentato, desuper conceditur solum monitorium, cuius vigore, nullo extante oppositore, quia nempe possessio beneficii verè vacua sit, sive quod possessor, ex provisione inferioris collatoris, agnita suæ provisionis insubsistentia, cedat, atque se opponere negligat, & tunc non datur ulterior processus, dum ita adimpletus est finis, ut pluries in praxi expertus sum; Sive verò adsit oppositor, seu contradictor, tunc illud monitorium resolvitur in citationem, adeo ut, inutilis remaneat ille actus adeptionis possessionis, qui de facto fiat, ac propterea reproducto monitorio, factaque iustificatione reservationis, & capacitatis provisi, alia Parte citata, aliisque servatis, quæ pro stylo in isto processu summario, & executivo servari debent, decernitur executio, etiam per schedulam, in forma sententiæ diffinitivæ cum solutione sportularum seu propinæ; Illeque est unus ex illis casibus, in quibus (præter regulam generalem) in iudicio summario, & executivo, procedatur in forma sententiæ diffinitivæ per schedulam; Et tamen quod ab ea regulariter non detur appellatio suspensiva, adeo ut citra vitium attentatorum, ad executionem procedi valeat.

Bene verum quod succumbentes occurrere solent, ut executio impediatur, recurrendo ad Signaturam Iustitiæ, prætendendo, ut ratione nullitatis, vel iniustitiæ sententiæ executoris, rescribi debeat de appellatione etiam ad effectum suspensivum; Atque ubi Signatura dubitat de validitate, vel iustitia, sive reputet reservationem nimiam dubiam, & altioris indaginis, rescribere quandoque solet de clausula translativa executionis; Nempe *parvo literis arbitrio*; Sive alteri qui ad legitimam; Aut alteri qui ad ulteriorem, vel cum alia simili clausula, ut supra in rubrica appellationis, ac etiam in relatione Curie agendo de Signatura Iustitiæ advertitur, *supra disc. 37. & in relatione Curie disc. 31.* Regulariter autē, cessante ista dubietate, rejecta ap-

pellatione suspensiva, committitur causa appellationis in devolutivo tantum, cum clausula *parvo literis*; Vel cum altera *sine præiudicio executionis.*

13 Quo verò ad aliam speciem literarum sub plumbo, in forma Cancellariæ ad favorem provisi, pro eo immittendo in possessionem beneficii; Duplex est huiusmodi literarum species; Una scilicet earum, quæ dicuntur in forma dignum, eo quia ab hoc verbo dignum earum oratio initium habet; Ac etiam ratione finis, ob quem in ista forma expeditur, quod scilicet, quando Papa est incertus, an provisi, dignus, vel indignus esset, ita rescribere solet Ordinario loci beneficii, ut sibi confitio, quod ille orator dignus esset, eum nomine, ac vice ipsius Papæ, de illo beneficio provideat; ac investiat, unde propterea per Beneficialistas non dicitur provisi, sed potius mandatum de providendo ad aliquos effectus, de quibus in rerum beneficialium sede.

Altera verò forma est ea, quæ dicitur gratiosa, ubi scilicet provisi, proprii Ordinarii testimonium habeat, super vita & moribus, ac idoneitate in literatura; Sive quod, habendo hoc testimonium super vita & moribus tantum, idoneitas circa literaturam certificetur per approbationem Examinatorum Vicarii Urbis, ex commissione Datarii; Vel quod alias apud eundem Datarium utraque idoneitas notoria sit; Istaque forma vel species literarum, dirigitur particularibus executoribus, ad electionem provisi, atque dicitur pura, & perfecta provisi; Unde propterea, quando non timeatur contradictor particularis, sed solum timeatur illa contradictio de facto, quam facere solet Ordinarius, vel Capitulum, (ubi beneficia præsertim in Cathedralibus, vel Collegiatis conferantur personis parum gratis;) Tunc per Executorum in Curia deputatum, expeditur solet quoddam monitorium, quod appellatur processus fulminatus, cuius vigore per quamcunque personam ecclesiasticam provisi in possessionem immitti potest; Atque ubi non adsit oppositor de facto, ita sequitur executio; Ubi verò adsit oppositor, tunc inseritur loco citationis, ut servatis servandis, ipsoque oppositore audito, quatenus compareat, sin minus in contumaciam, & per contradictas, procedatur ad sententiam super executione eodem modo quo supra in executione brevis de capiendâ possessione nomine Camere est dictum.

Inter unam autem, ac alteram speciem literarum, in forma scilicet dignum, & in altera gratiosa, ea dignoscitur differentia (quando revera non adsit legitimus contradictor) quod in prima specie, ultra necessariam iustificationem narratorum, adire oportet Ordinarium, atque coram eo iustificare idoneitatem, tam circa vitam, & mores, quam circa literaturam, unde propterea cogitur se exponere examini, quatenus ille velit eo mediante de hac idoneitate se certificare, quod non requiritur in alio casu.

In reliquis autem, ambulant pari passu, circa idem privilegium processus summarii, & executivi, quoties cesset legitimus contradictor, adeo ut non admittatur appellatio suspensiva, quamvis executio decernatur per schedulam in forma sententiæ diffinitivæ, ut supra.

Prout etiam, æqualis est necessitas summarie iustificationis narratorum, tam scilicet circa valorem ipsius beneficii & obtentorum, quam etiam circa clericatum, aliasque qualitates provisi in eisdem literis narratas vel præsuppositas, pro beneficialium

ciorum qualitate; Putà circa doctoratum, vel circa aliquos ordines, aut circa nobilitatem, seu originariam qualitatem, aliaque similia, pro singulorum casuum circumstantiis; Quando etenim non adfit legitimus contradicitor, tunc aequè dicitur merus exequutor, qui sit deputatus in una specie literarum in forma dignum, ac in altera in forma rigorosa; Et è converso, quando adfit contradicitor legitimus, aequè dicitur mixtus, in una ac in altera specie.

Ad effugiendum tamen onus istius justificationis, super qua, & praesertim circa valorem & quandoque circa nobilitatem, vel aliam qualitatem, oppositores impedimenta praestare solent; Sive, ut eo minus oppositor dici valeat contradicitor legitimus, expediri solent literæ, super alia gratia concessa ad partes, vel desumpta ex clausulis supplicationis eiusdem provisionis & gratiæ principalis, subrogationis scilicet, in jus & possessionem defuncti; Istiq; casu, pro huiusmodi literarum executione, sufficit minor justificatio, nempe Apostolica reservacionis vel affectiois, quæ est istius gratiæ fundamentum, unde propterea debet esse omninò clara; Nec non obitus defuncti in possessione beneficii & clericatus provisus, *tit. de benef. disc. 52. & 73. & in supplementis.*

Major itaque inspectio, quæ in hac materia executionis literarum Apostolicarum cadat, percutit punctum legitimi contradicitoris, an scilicet, & quando, iste adesse dicatur, nec ne; Dux siquidem habentur contradicitoris species; Una scilicet contradicitoris veri & proprii, & altera improprii; Verus enim, ac proprius legitimus contradicitor est ille, qui fovet parem titulum, ita & taliter, quod exequor efficiatur mixtus, atque formales partes Judicis assumere teneatur, unde resultat cessatio processus executivi ut procedendum sit in iudicio ordinario appellabili, terminando per rem iudicatam, vel per tres conformes, cum agi dicatur de puncto petitorii super titulo beneficii, cuiusque adjudicatione, ut in sua beneficii materia habetur; Ubi etiam quando dicatur quis habere tale jus, ut verè dici valeat legitimus contradicitor, *tit. de benef. disc. 73. & in aliis.*

Alter verò dicitur contradicitor, seu oppositor de facto, tanquam intrusus in possessione beneficii, sive alias admissus ad causam, quia præterdat aliquam provisionem, vel jus in beneficio habere, non tamen habeat parem titulum, munitum illis circumstantiis, quarum concursus desideratur ad reddendum aliquem legitimum contradictoem; Et tunc non impeditur processus executivus, sed dicitur contradicitor improprius & de facto, ad effectum ut debeat citari, & audiri, *ibidem.*

In beneficiis autem capitularibus, vel collegiatis, puta in Cathedralibus, & in Collegiatis; Cum ipsum Capitulum, vel Collegium, noviter provisio se opponere soleat, quamvis alter non adfit, qui de beneficio contendat; Et tunc cadit quæstio, an Capitulum sit legitimus contradicitor; Atque regula est negativa, cum nil sua interfit, an unus, vel alter, locum vacuum occupare debeat; Nisi oppositio sit ratione inhabilitatis personæ, vel carentiæ illarum qualitatum, quæ ex privilegiis, vel Statutis desiderantur; Puta civilitatis, vel nobilitatis, aut puritatis sanguinis cum similibus; Verùm erit legitima contradicito, juxta secundam speciem in processu executivo, nisi facti circumstantiæ suadeant limitationem pro arbitrio Signaturæ, *tit. de benef. disc. 55.*

Cum materia beneficii fraternizat altera pen-

sionum ecclesiasticarum, quod scilicet literæ Apostolicæ super reservacione pensionis, paratam executionem quoque habent; Tum ob privilegium ipsarum literarum, quod est generale in omni alia ipsarum literarum specie, quoties circumstantiæ non sint tales, ut locum aperiant limitationi supradictæ, ratione legitimi contradicitoris; Tum etiam ex ipsius pensionis natura executiva, eo quia redolet speciem alimentorum, *lib. 13. tit. de Pens. disc. 38. & 57.*

Idque verum, non solum, in primis, ac directis literis Apostolicis, super reservacione, sed etiam super aliis literis, vel documentis alicuius inferioris, super translatione, dum etiam translatorio competit via executiva. *dicto tit. de Pens. disc. 57. & 65.* Atque in isto pariter casu verificatur idem quod de literis Apostolicis super provisione beneficiorum est dictum, quod scilicet servatur quædam forma iudicii ordinari per monitorium & per schedulam in forma sententiæ diffinitivæ; Et tamen processus remanet executivus.

Frequenter autem in ista materia, utpotè melior (quando praticari potest) est altera via iudicii possessorii manutentionis de quo *disc. sequenti*, cum ita pensionarius Actor à multis oneribus eximatur ut ibi.

Datur item casus mixtus utriusque materiæ, pensionis, & beneficiorum, in quo disputari contingit, an in processu ordinario, vel executivo procedendum sit, quia nempe agatur de pensione reservata ex causa resignationis, ad favorem resignantis, qui sibi reservaverit regressum; Sive quod etiam sine reservacione, postet ille competere; Et propterea, ubi velit illum exercere, intrat ista quæstio ordinis iudicarij; Distinctio verò est (ut Beneficialistæ dicunt) inter formam antiquam, & modernam, id est, quod ubi agitur de illo subsidiario regressu, qui ex dispositione, vel intentione juris, datur per quandam speciem pœnæ protreviæ, & contumaciæ titularis, non solvendi pensionem; Et tunc procedendum sit in iudicio ordinario, & appellabili terminando per rem iudicatam, vel per tres conformes; Secus autem, ubi agatur de regressu reservato per viam conditionis approbatæ per Papam, cum quadam gratia speciali, quæ dicitur in forma iudicii ordinarij, cum monitorio, & cum servacione terminorum, & cum sententiâ per schedulam, super immisione, ad instar executionis novæ provisionis; Attamen retinet naturam processus executivi, ut non admittat appellationem suspensivam, quando ex facti circumstantiis; Signaturæ non videatur eam admittere, juxta generalem limitationem totius materiæ executivæ. *tit. de Pension. disc. 13. & 74.*

In beneficialibus quoque, existentia contradicitoris, cessare non facit processum executivum, ideoque appellatio conceditur ad effectum devolutivum tantum, quando agatur de concursu ad parochiales, juxta formam præscriptam à Concilio Tridentino, *tit. de Paroch. disc. 37.*

Aut ubi agatur de illis dignitatibus Hierosolymitanæ Religionis, quæ admixtum habeant officium, vel administrationem, adeo ut appellationis moræ, irreparabile præjudicium causarent; non quidem ipsi, qui dignitatem, in concursu plurium de illa contententium, sibi adjudicari obtinuerit, sed magis ac principaliter, ipsi Religioni, vel illi publico operi, sive administrationi, cum tunc ad for-

mam

mam illorum stabilimentorum, appellatio suspensiva non intret; Secus autem ubi ista ratio non urgeat, cum tunc non intret regula legitimi contradicitoris, *Dunoz. et. decis. 690.*

De iudiciis, vel interdictis possessoriis; Adipiscendæ, Reintegrandæ; & Retinendæ.

SUMMARIVM.

- 1 **T**ria sunt hæc interdicta, & quæ.
- 2 **I**llud reintegrandæ parum in usu, de ratione.
- 3 **Q**uodlibet possessorium de iure canonico est appellabile.
- 4 **F**allit in possessorio retinendæ, dummodo sit summarium.
- 5 **Q**uomodo distinguatur summarium à plenario.
- 6 **E**tiam in hoc remedio summario requiritur monitorium, & quando secus.
- 7 **I**tem est appellabile si continet mixturam petitorii.
- 8 **Q**uod extra Curiam materia possessorii non bene distinguatur.
- 9 **D**e Cumulo plurium ex his remediis, vel interdictis in idem.
- 10 **Q**uod regulariter sint compatibilia, & quod petens immitti, vel reintegrari, fateatur se non possidere, ac probet possessionem alterius, & non detur immitti ei, qui semel possedit.
- 11 **P**otest peti immissio pro confirmatione possessionis, quæ habeatur.
- 12 **V**el peti reintegratio ad solam naturalem compatibilitatem cum retentione civitatis.
- 13 **Q**uomodo ista compatibilitas regulari debeat.
- 14 **D**e immisione, quæ competit proviso de beneficio, etiam ab Ordinario.
- 15 **D**e altera pro regressu, quæ competit pensionario.
- 16 **E**t de competente pensionario, vel translatorio.
- 17 **C**ompetente etiam proviso de officio, vel Prelatura.
- 18 **D**e immisione in vim l. fin. Cod. de Edicto diu. Hadr. toll. non solum primo hæredi, sed etiam fideicommissario universali.
- 19 **N**on datur institutio in re particulari, etiam si in legitima.
- 20 **C**ompetit etiam donatario universali, vel fideicommissario universali, per contractum.
- 21 **C**ompetit feudatario in vim investituræ feudalis, vel emphyteuta.
- 22 **D**e interdicto quorum bonorum, quod competit hæredi ab intestato.
- 23 **T**am istud, quam alterum l. fin. datur etiam hæredi hæredi.
- 24 **L**egatario vel fideicommissario particulari competit immissio ex interdicto quorum legatorum, vel ex interdicto salvani.
- 25 **D**e salviano quod conceditur creditori habenti hypothecam tantum.
- 26 **D**e hypothecaria.
- 27 **Q**uid importet salvianum, & quid concedat immissio.
- 28 **D**e remedio associationis in vim pacti de capiendo.
- 29 **D**e eodem in vim constituti, & præcarii.
- 30 **Q**uod in Regno Neapolitano de stylo adiciantur dicta clausula, quæ censentur apposite.
- 31 **I**n Curia opponitur constitutum super fundato censu.
- 32 **D**e pacto præcarii Bononiæ.
- 33 **D**e eodem remedio associationis competente domino directo pro solutione canonum, vel in casu devolutionis.
- 34 **D**e primo & secundo decreto.
- 35 **D**e tenuta in maioratibus Hispaniæ.
- 36 **D**e Assistentia in Regno Neapolitano.
- 37 **P**robatio identitatis est requisitum essentialis immisionis.
- 38 **N**on competit immissio in hoc iudicio possessorio contra legitimum contradicentem.
- 39 **D**e exceptionibus, quæ competant cuilibet possessori quamvis non esset talis, ut dici valeat contradicitor legitimus.
- 40 **D**e distinctione inter exceptiones claras, vel turbidas, & altioris indaginis.
- 41 **A**n interdictum quorum bonorum detur contra titulum possidentem.
- 42 **D**atur ad bona quomodocumque possessa per defunctum tempore mortis absque iustificacione dominii, idemque in alio remedio l. fin.
- 43 **A**n possessor obiciat de resolutione iuris unius ex iure tertii.
- 44 **Q**uomodo in hoc materia sit procedendum, & quæ regula hiesuper cadat.
- 45 **D**e tribus requisitis ad faciendum contradicentem in materia fideicommissaria.
- 46 **D**e qualitatibus, quæ ad hunc effectum in iudice considerentur.
- 47 **D**e requisitis necessariis salvani circa creditum, & circa hypothecam, atque istius validitatem, vel existentiam, seu efficaciam, & de aliis exceptionibus.
- 48 **A**n Iudei, vel forenses incapaces acquisitionis bonorum in dominio sint incapaces hypotheca, ut salvianum eis non competat.
- 49 **D**e salviano ad commoditatem bonorum incapacium hypotheca.
- 50 **D**e conclusionone, quod exceptiones altioris indaginis in iudicio salvani non admittuntur.
- 51 **D**eclaratur quomodo & quando id procedat.
- 52 **D**e primo & secundo extremo salvani eiusque probatione.
- 53 **A**n sit probandum dominium possessoris, qui bona hypothecavit.
- 54 **D**e associatione, & præsertim de efficacia constituti, & de questionibus quæ super eo cadunt.
- 55 **A**n in associatione requiratur citatio partis.
- 56 **Q**uod præiudicet servare formam iudicii.
- 57 **A**n illa detur contra tertium possessorem titulo singulari.
- 58 **A**n interdictum reintegrandæ proveniat à jure civili, vel à Canonico, & de effectibus exinde resultantibus.
- 59 **I**n specie de appellatione suspensiva.
- 60 **Q**uod hæc materia appellationis reguletur potius à stylo.
- 61 **Q**uare adinventum sit remedium reintegrationis, & quando intret.
- 62 **M**anutentio non datur sine possessione.
- 63 **I**mmissio non competit ei qui semel possedit, & possessionem amisit.
- 64 **Q**uod sit magis proficuum remedium mantentionis quam reintegrationis.
- 65 **Q**uando, & ad quos effectus excipiendo, obijci soleat de spolio, & de pœnis spoliatoris.
- 66 **Q**uando oporteat recurrere ad hoc interdictum reintegrationis.